

dine vulpis, felis, lupi &c. Præscribuntur varij Balsami de-
stillati, qualis est balsamus ex galbano, Balsamus Mesues; &
qui ab Euonimo, Hollerio, Benedicto Victorio, alijsq; in hoc
casu describuntur. Mane post leuem frictionem cum linteo
calido inungatur membrum affectum medicamentis præscri-
ptis, respiciendo ante omnia partem primò affectam (vnde
nerui deferentes sensum & motum originem ducunt, vt docet
Gal. 3. de Loc. c. 10. in Pausanio Sophista) ei que potissimum
remedia admoueantur.

48. In progressu paranda sunt fomenta ex radicibus ebu-
li, acori, irios, liliorum alborum, fol. Chamæpytios, saluiæ,
origani, rosmar. rutæ, Calamenti montani, pulegij, florum
stæchados, camomillini, meliloti, baccarum lauri, Iuniperi
&c. Fiatq; decoctio in aqua & vino pro irroratione & fomen-
tatione partium affectarum. Ex talibus decoctis fiunt quoq;
in progressu Balnea, in quo partes resolutæ foueantur, fri-
centur, extendantur, varièq; commoueantur & exercean-
tur, vt ad eas calor natiuus cum spiritu alliciatur. Consultum
quoq; est corpus resolutum ita collocare aut operire, ne fu-
mus decocti euanescat, & in decoctum silices candentes sæpè
inijcere, vt vapor ad partes affectas ascendat. Verùm huius-
modi balnea ante decimum septimum, aut vicesimum diem
rarissimè conueniunt.

49. Post balnea statim vnguentis præscriptis partes inun-
gantur, deinde pelle vulpina contegantur. Vtile est pellem
prius suffumigare myrrha, thure, mastice, charyophillis &c.
aut puluerem pelli inspergere, calideq; admouere. Proban-
tur balnea ex decoctione vulpis cum herbis appropriatis. Vn-
guentis & fomentis discutientibus miscenda sunt semper
quædam emollientia, potissimum si malum sit à Melancholia,
initio maiori copia, post minori. Nam qui statim ad validè
discutientia & resoluentia confugiunt, materiam impactam,
duram